

addo Philonem, Carpathiorum Episcopum, qui æqualis est Epiphano, ac proinde antiquior Augustino; et nihilominus ita in locutionibus de gratia imitatur Augustinum, ut usque ad ejus tempora supervixisse, et ejus opera legisse videatur. Nam in expositione Canticorum, ad illa verba cap. 6: *Pulchra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata*, primum, per sexaginta Reginas intelligit animas sanctas, *quæ castissime se regent, ac cæteros qui cælorum regnum, ex divina gratia, et libero arbitrio cooperante, adipisci nituntur*; ac deinde post multa, subjungit verba Pauli: *Gratia Dei sum id quod sum, et gratia ejus in me vacua non fuit*; et addit: *Collaboravit enim, et quidem plus quam cæteri; studemus igitur et hunc nos imitari post acceptam Spiritus Sancti gratiam, ex libero voluntatis arbitrio quæ bona sunt agere; cooperemur gratiæ*. Postea vero aggreditur explicare quomodo gratia et arbitrium conjungantur, et adductis multis Christi verbis, quibus homines invitatur et allicitur ad salutem, inquit: *Ecce donat gratiam promerendi; offert, ut capias, hortatur accipere, ostentat occurrere, pulsatur ut aperias; ait enim: Stes ad ostium et pulso, si quis mihi aperuerit, etc.* Et infra: *Quid ergo dicemus? trahamur oportet, præveniamur a gratia, eaque semper adjuvemur. Id ipsum fatemur utique, sed collaboremus omnino necesse est, ne in illud incidamus, quod de negligentibus ac pervicacibus dicitur: Ex te perditio tua, Israel. Duo igitur ad salutem sunt nobis maxime necessaria, quorum unum supra nos, alterum nobis inest: cæ munificentia conditoris, divina gratia, scilicet, nos præveniens, et liberum de voluntate iudicium; gratia alliciendo incipit, admissa consequitur, bene retenta ac fota perficit. Ac tandem dicit gratiam allicere ac movere voluntatem, non tamen ulla vi cogere. In quibus verbis, omnia quæ in hoc puncto nos tradimus, continentur. Et quamvis hic Sanctus non expresse rejiciat physicam prædeterminationem voluntatis, sine illa tamen explicat totam gratiam prævenientem, trahentem, et adjuvantem voluntatem, et cum illa semper conjungit liberam voluntatis determinationem, seu cooperationem, et sub nomine coactionis et vis, excludit quidquid spontaneam determinationem ex indifferente potestate impedire possit, qualis prædeterminatio physica esse videtur.*

19. *Clemens Rom. — Turrian.* — Ex Patribus Latinis afferri possunt omnia quæ de libertate arbitrii tradunt, etiam in operibus gra-

tiæ, et præsertim ubicumque docent, post vocationem ad fidem vel pœnitentiam, esse in proxima hominis potestate ad alterutram partem se determinare, et tunc illi imputari, si in deteriorem partem declinet. Hæc enim et similia, ut late probatum est, cum prædeterminatione physica ab extrinseco immissa independentem a voluntate hominis, et necessaria ad volendum non subsistunt. Sic ergo Clemens Rom., ep. 3, circa medium: *Qui audit sermonem veri Prophetæ (ait) habet in sua potestate velle et nolle illa amplecti. Nam si hoc esset ut videntes ea jam non haberent in sua potestate aliud facere quam audierant, vis erat quedam naturæ, per quam liberum non esset ad aliam migrare sententiam*. Simili enim modo nos dicimus, si audiens cum vocatione simul recipiat talem impulsum, ut jam non habeat in sua potestate aliud facere, vis quedam esset prædeterminationis, non libera electio: *Nunc autem (subdit inferius) liberum est animo in quam voluerit partem declinare iudicium suum et quam probaverit eligere viam*. Quid, quæso, est in quam voluerit partem declinare, nisi se determinare; aut quomodo id attribuitur voluntati, si prius natura ita ab alio determinatur, ut jam non nisi unum probare aut eligere possit. Hunc locum locupletat egregie Turrian., lib. 2, pro epist. Pontif., cap. 2, adductis Græcorum testimoniis, ex quibus maxime ad causam faciunt verba Concilii Ticinensis ad Constantinum.

20. *Leo I.* — Secundo, allegari potest Leo I; licet enim hi Patres Pontifices fuerint, tamen quia in his locis non definiendo, sed simpliciter ad doctrinam in Ecclesia receptam tradendam loquuntur, idcirco eorum testimonia nunc proferimus. Leo igitur, in sermone 2 Epiphaniæ, in fine, ubi post exaggeratam gratiam vocationis gentium, et divini luminis beneficium, ad cooperandum divinæ gratiæ exhortatur, dicens: *Et nos de cordibus nostris quæ sunt Deo digna promamus, et addit: Quamvis enim omnium bonorum sit ipse largitor, etiam nostræ tamen fructum querit industria. Non enim dormientibus provenit regnum cælorum, sed in mandatis Dei laborantibus atque vigilantibus, ut si dona illius irrita non fecerimus, per ea quæ dedit mereamur accipere quod promisit*. Hæc enim Sancti Leonis doctrina, non solum in operibus quæ post justificationem facere debemus, sed etiam in illis quæ post vocationem facere oportet, ut justificemur, verum habet. Utraque enim sunt dona Dei, et ex efficaci vocatione seu excitatione procedunt, et

tamen de illis ait, non obstante præmotione Dei, necessariam esse nostram industriam, seu consensionem, esseque in nostra potestate prævenientia Dei dona irrita facere, ac proinde in illis prævenientibus donis non contineri auxilium prædeterminans voluntatem nostram, cum illud nec possit a nobis tunc fieri, nec expectet nostram industriam, sed omnino ad cooperandum quasi cogat.

21. *Expenduntur nonnulla testimonia Ambrosii.* — Tertio, expendo nonnulla Ambrosii testimonia; nam lib. 4 in Lucam, § *Visum est et mihi*, sic ait: *Potest etiam non ipsi soli visum esse, quod visum sibi esse declarat. Non enim voluntate humana tantum visum est, sed sicut placuit ei qui in me loquitur, Christus, qui, ut id quod bonum est, nobis quoque videri bonum possit, operatur*. Quod ad operantem, seu prævenientem gratiam, et sane efficacem pertinet; quomodo autem detur, sic declarat: *Quem enim miseratur, et vocat, ubi non prædeterminationi, sed vocationi id tribuit. Unde subjungit: Et ideo qui Christum sequitur, interrogatus cur esse voluerit Christianus, respondere potest: Visum est mihi. Quod cum dicit, non negat Deo visum, a Deo enim præparatur voluntas hominum; ut enim Deus honoretur a Sancto, gratia Dei est. Est ergo hæc, secundum Ambrosium, non gratia prædeterminationis, sed vocationis, quia per eandem vocationem fit, et relinquit in homine potestatem, qua possit dicere: *Visum est mihi*, quod propriam determinationem a se factam significat, non a solo Deo immissam. Est etiam egregius locus apud eundem Ambrosium, in expositione Symboli Apostolor., cap. 4. ubi de Spiritu Sancto ait: *Ubi vult, in quos vult, et quantos vult, et quantum vult, inspirat sua propria voluntate*; per quæ verba gratuitam prævenientem gratiam nobis tradit, eamque in divina inspiratione constituit, et pro eadem Dei voluntate esse efficacem demonstrat, subjungens: *Replet ergo gratia sua quos vult, et quantos vult, et quantum vult*. Ex quo intelligimus præcedere quidem posse voluntatem prævenientem Dei; illam vero, per inspirationem accommodatam secundum divinam sapientiam, sine alia prædeterminatione efficaciter impleri. Unde ad Rom. 9, § *Quos et vocavit: Hos (inquit) quos vocavit, præparavit ad gloriam, sive eos qui prope erant, sive eos qui longe, sciens permansuros in fide*. Denique in lib. 4 in Lucam 4, § *Et repleti sunt, de Judæis ejicientibus Christum ait: Nec mirum si perdidit salutem, qui ejecerunt e suis fini-**

bus salutare. Moralis enim Dominus, et qui docuerat exemplo sui Apostolos suos, omnibus omnia fieri, nec volentes repudiat, nec invitatos alligat, nec ejicientibus reluctatur, nec rogantibus deest. Certe non video cur Ambrosius moralem Dominum vocaverit, nisi quia morali modo et liberis hominibus accommodato, homines vocavit, ideoque sic homines invitatur ut non alliget ad unum, quod faceret prædeterminando; ille enim modus moralis non esset. Recte ergo ad mentem Ambrosii dicere possumus Deum trahere homines per moralem gratiam quoad modum præviæ inductionis, cooperando physice cum illis, si ipsi velint; nam hæc physica efficientia etiam ad moralem effectum necessaria est.

22. *Additur Hieronymus.* — Quarto, addimus Hieronymum; lib. 4 in Jeremiæ 18, in principio, exponens quod ibi ait per Prophetam Deus, sæpe prædici mala vel bona, et non evenire, quia hominum voluntates immutantur, ait Hieronymus hoc dixisse Deum, *ut liberum significet arbitrium*, et subjungit: *Et hoc dicimus, non quod ignoret Deus hoc vel illud, gentem aut regnum esse facturum, sed quod dimittat hominem voluntati suæ, ut vel præmia vel pœnas sua voluntate et suo merito recipiat*. Difficile profecto explicatur quomodo Deus homines voluntati suæ dimittat, si in singulis actibus, vel bonis, vel etiam malis, ad unum tantum, et ad exercitium ejus illam determinat. Ne autem per verbum illud gratiam exclusisse videretur, subdit Hieronymus: *Nec statim totum erit hominis, quod eveniet, sed ejus gratiæ, qui cuncta largitus est; ita enim libertas arbitrii reservanda est, ut in omnibus excellat gratia largitoris*. Stante igitur hac gratiæ excellentia et necessitate, ita concilianda est cum libertate, ut, ea non obstante, voluntas suæ libertati committatur, non ita ut prædeterminetur. Similia fere habet Jerem. 24, circa finem, et c. 26, in principio.

23: Item Isaiæ 49, in id: *In vacuum laboravi sine causa, et vane fortitudinem meam consumpsi*, dicens: *Hæc universa dicuntur, ut liberum hominis arbitrium monstraretur; Dei enim vocare est, et nostrum credere, nec statim si nos non credimus, impossibilis Deus, sed potentiam suam nostro arbitrio derelinquit, ut juste voluntas præmium consequatur*. Quid, quæso, est, *Deum potentiam suam nostro arbitrio derelinquere*, nisi actionem suam ita temperare, et arbitrio accommodare, ut indifferentiam ejus non auferat, neque ad unum prædeterminet? Quam moderationem seu ac-

commodationem influxus divini ponit etiam Hieronymus in illis actionibus voluntatis, ad quas Deus specialiter per gratiam præmovet. Et similia habet epist. 150 ad Hedibiam, q. 10, ubi, post vocationem gratiæ, absolutam potestatem consensus vel dissensus voluntati tribuit. Et ex ejusdem libera facultate, rationem reddit, cur ex eisdem vocatis quidam veniunt, alii obdurescunt: *Quia non salvat (inquit) irrationabiliter, et absque judicii veritate, sed causis præcedentibus, quia alii non susceperunt Dei filium, alii suscipere voluerunt.* Quam rationem nolunt defensores prædeterminationis admittere. Hieronymus vero illam censet necessariam, saltem in ipsa executione, quia discretionem, per solam prædeterminationem, rationabilem non censuit. Tandem, in epist. 146 ad Damasum, de Filio prodigo, verba illa: *Divisit illis substantiam, exponit: Id est, dedit illis liberum arbitrium, dedit mentis propriæ libertatem, et ut viveret unusquisque, non ex imperio Dei, id est, non ex necessitate, sed ex voluntate.* Ubi per imperium, non legem, ut per se constat, sed *motionem physicam* intellexit Hieronymus, sicut dicere solemus membra externa imperio voluntatis moveri, eamque per *necessitatem* explicat, quia tale imperium necessitatem imponit, si omnino ad unum determinat.

24. *Allegantur Tertullianus et Cyprianus.*— Denique merito pro hac parte allegare possumus Tertullianum, lib. de Anim., cap. 21, et lib. 2 contra Marcion., cap. 5 et sequentibus, et Cyprianum, epist. 55 ad Concilium, et alios qui, agentes de arbitrii libertate, semper dicunt ita subjeci gratiæ, vel ita moveri divinis inspirationibus, seu vocatione, ut electio, seu (quod idem est) determinatio ejus potestati relinquatur, quod certe cum prævia et totali determinatione ad unum, per solam Dei voluntatem immissa, intelligi non potest. Unde etiam dixit Tertullianus, lib. de Exhort. ad castitat., cap. 2, non esse soli Dei voluntati tribuendum, quod ab hominis pendet voluntate; quem locum cum aliis supra, lib. 3., cap. 48, satis expendimus. Possuntque hic adduci testimonia Patrum, dicentium suppositionem antecedentem repugnare libertati, quos, partim in prolegom. 1, agentes de indifferentia necessaria ad usum libertatis, partim in prolegom. 2, tractando de præscientia Dei, adduximus. Item possent huc afferri Patres docentes cum eisdem auxiliis prævenientibus posse hominem converti, et non alium. Nam illud pronuntiatum non potest cum auxilio prædeterminante

subsistere, ut defensores ejus fatentur, et ideo illud impugnant. Sed de illo puncto proprium caput postea instituemus.

CAPUT XLI.

ANTIQUOS PATRES NIHIL PRO PHYSICA PRÆDETERMINATIONE NOBIS TRADIDISSE.

1. *Respondetur ad objecta.*— *Allegatur primo Dionysius.*— In hoc capite ad ea respondimus, quæ ex auctoritate eorumdem Patrum adversarii nobis objiciunt, simulque ab auctoritate negativa eorumdem Patrum argumentabimur. Nam certe verisimile non est, si tale genus auxilii efficacis necessarium est ad salutem, omnes hos antiquos Patres illud ignorasse, aut si illud cognoverunt, tanto silentio illud præterisse; sed nulla mentio talis auxilii in his Patribus invenitur; ergo vehementer conjectura est vel nunquam dari, vel saltem non esse necessarium. Minorem non aliter probo, nisi quia neque in his, quæ in his Patribus legere potui, aliquid hujusmodi inveni, neque defensores alterius sententiæ, qui majori fortasse diligentia illud quæsierunt, id nobis allegant, quod breviter ostendam discurrendo per ea quæ allegata invenio. Primo enim allegatur Dionysius; capite 4 de Divinis nominibus, dicit Deum vocare amorem, quia *generat, seu creat in nobis, et immittit amorem, et quia ad illum pertinet quod moveat, et causet motionem aliis.* Sed hæc omnia, loquendo in ordine gratiæ, verissime dicuntur propter infusionem charitatis, tam habitualis quam actualis, per excitantem et adjuvantem gratiam, neque aliud ex illis verbis colligit D. Thomas, explicando illa in lect. 11; citatur etiam Dionysius in cap. 5 ejusdem libri, in ultima ejus parte, ubi agit de divinis exemplaribus ac prædefinitionibus. Sed ille locus pertinet ad generalem providentiam, vel rerum creationem, ut alii volunt, et ideo illum sufficienter attigimus in lib. 3. cap. 37.

2. *Secundo, Ephrem.*— Secundo, allegatur Ephrem variis in locis. Primo, in sermone de vita relig., satis post medium, ubi comparat gratiam speculo, et inter alia dicit: *Absque gratiæ adminiculo, non prævaleret ei cor placere viribus suis, verum ut ipsi placeat, ab ea accepit;* et infra: *Homo, sine gratiæ adjutorio, pauper est, et bonorum inops; si vero ipsam gratiam promeruerit, poterit illius ope virtutes exercere atque perficere.* Hæc autem et similia, quid pertinent ad gratiam prædeterminantem?

Allegantur præterea hæc verba: *Anima, gratia et ejus adjutorio destituta, inefficax et inutilis est.* Sed illa verba nec formaliter inveniuntur in Ephrem, nec quidquam referrent; nam solum probant necessitatem gratiæ, non efficacem prædeterminationem. Est ergo illud testimonium egregium, ad commendandam gratiam; ad probandam autem vel insinuandam physicam prædeterminationem, inutile omnino est. Imo, si attente legatur Ephrem, non minus commendat cooperationem et liberam applicationem voluntatis, et nimium illi tribuere videretur, nisi ad fideles et gratia præventos loqueretur.

3. *Idem Ephrem.*— Deinde allegatur in serm. 3 de Compunct. cord., solum quia inter multiplices petitiones gratiæ hanc interponit: *Da mihi medicamentum efficac quo plenissime ab occultis meis curer vulneribus.* Sed quis non videat quam sit inefficax testimonium? Nam ad litteram postulat contritionem, quæ est medicamentum efficac peccatorum; et, licet postularet auxilium efficac, non ideo postularet prædeterminationem physicam, sed illam quam serm. 1 vocat *dulcem protectionem, et illuminationem,* et quam, in opere de Divin. grat., vocat *custodem animæ, magistram invincibilem, et gubernatricem animæ;* quibus verbis et similibus, moralem modum operandi prævenientis gratiæ demonstrat. Et quia illa non prædeterminat voluntatem, admonet: *Cum promptitudine igitur animi morem ipsi gerito, et cuncta tibi perspicua reddet.* Denique allegatur idem Sanctus in confessione, seu precatione ad Deum, quæ incipit: *Sana me, Domine,* propter sequentia verba: *Quemadmodum terra, licet seminata, nequit a seovere germina, sine tuæ bonitatis visitatione, ita neque cor meum eloqui poterit beneplacita tibi, beneficio gratiæ tuæ, nisi per ipsam fructificaverit justitiæ fructum.* Ex quo inferunt, ex mente hujus Patris necessarium esse, non solum ut gratia fructificet, sed etiam ut faciat liberum arbitrium fructificare. Sed imprimis Ephrem non dicit an gratia faciat liberum arbitrium fructificare, necne, sed solum dicit cor hominis non posse sine gratia fructificare. Deinde, licet id verum sit, non sequitur quod gratia id faciat prædeterminando, sed moraliter inducendo, et cooperando, simulque efficiendo. Denique quod in illo loco intenditur, et optime probatur, est, necessarium esse ut Deus incipiat seminare in anima per gratiam prævenientem, non tamen id satis esse ad ferendum fructum, nisi gratia etiam adjuvet, et

sæpius animam visitet, quod totum sine prædeterminatione physica fieri potest, et magis consentaneæ ad naturam hominis liberam fit.

4. *Tertio Basilius.*— Tertio, citatur Basilius, lib. de Spirit. Sanct., cap. 8, ubi tractans illud Apostoli ad Rom. 8: *In his omnibus superamus per eum, qui dilexit nos,* ait: *Neguaquam hac voce humile quoddam ministerium indicat, sed auxilium potius, quod per imperium suæ potentiæ operatur in nobis, sicut et ipsum alligavit fortem, diripuitque vasa illius, videlicet nos, quibus ad omnia mala opera fuerat abusus, fecitque vasa utilia Domino, apparatus ad omne opus bonum, ob promptitudinem illius, quod erat in nobis.* Sed his etiam verbis nullum vestigium physiciæ prædeterminationis invenitur. Nam si illa colligatur ex verbo illo, per imperium potentiæ suæ, frivolum est, quia omne auxilium gratiæ, sive sufficiens, sive efficac, operatur Deus in nobis per imperium potentiæ suæ. Si vero id sumatur ex verbo illo, *fecitque vasa utilia Domino,* jam sæpe dictum est verbum *faciendi* generalius esse, et non limitari ad physicam prædeterminationem, quod magis significavit Basilius in sequentibus verbis, nam dicit *fuisse nos vasa Domino apparatus ad omne bonum ob promptitudinem,* etc. Nam longe aliud est, voluntatem reddi aptam ad operandum, ab eo quod est physice prædeterminari.

5. *Petrus Diaconus.*— Apparentius possent ex Basilio citari verba quæ Petrus Diaconus, de Incarn. et grat., cap. 8, refert in Oratione sacri Altaris, *quam (ut ait) pene universus Oriens frequentat;* suntque hujusmodi: *Dona, Domine, virtutem ac tutamentum; malos, quæsumus, bonos facito, bonos in bonitate conserva, omnia enim potes, et non est qui contradicat tibi; cum enim volueris salvas, et nullus resistit voluntati tuæ, quæ verba formalia in operibus Basili non invenio, tamen in Missa hæc habet æquivalentia: Deus omnis consolationis, inclinantes tibi sua capita custodi, muni, conforta, ab omni opere malo discedere fac, in omni autem opere bono coadjuva, et idoneos fac indignabiliter accipere incontaminata et vivifica mysteria in remissionem peccatorum, et Spiritus Sancti communionem.* Et prius pro Catechumeis sic orat: *Fac eos membra Ecclesie, et idoneos fac lavacro regenerationis et remissione peccatorum,* etc. Et infra pro ministris Altaris: *Idoneos fac virtute tua Sancti Spiritus in ministerio isto, ut indignabiliter stantes in conspectu sanctæ gloriæ tuæ, offeramus tibi sacrificium laudis; tu es enim ope-*